



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCLVI. Papst Nicolaus IV. bevollmächtigt den Probst zu Brandenburg, zur
Vermählung Heinrichs, Fürsten von Mecklenburg, mit Beatrix, der Tochter
des Markgrafen Albrecht von Brandenburg, die päpstliche ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

nostris heredibus fideliter procurabunt. Ceterum cum ad electionem celebrandam Regis Romanorum eandem Regem Boemie in proximo continget procedere, nos ad locum, pro electione Regis Romanorum statuendum (sic), cum ipso Rege Boemie, in societate, expensis et conductu ipsius, cum decem nostris militibus, duobus capellanis et octo domicellis, quos ipse Rex Boemie vestire promittit, venire, stare et redire debemus. Vbi in electione predicta vocem et auctoritatem nostram non in alium nec aliter dirigemus, nisi sicut eidem Regi Boemie placuerit et ipse Rex Boemie nos iusserit et sicut in aliis nostris patentibus litteris super voce et auctoritate per nos in eundem Regem Boemie translatis et directis plenius continetur. Quod si legitimo impedimento preueniente ad terminum et locum predictae electionis statuendum venire non possemus uel absoluti per ipsum Regem Boemie ab eodem itinere aput propria maneremus, nuncios nostros, quos loco nostri ad predictam electionem in ipsius Regis Boemie expensis cum pleno et sufficienti mandato nostro ad eligendum tenebimur mittere, ea ibidem auctoritate nostra pro ipso Rege Boemie facere tenebuntur, que nos ipsi, si presentes adessemus, iuxta predictarum nostrarum litterarum, quas ipsi Regi Boemie dedimus, super hoc continentiam, facere teneremur. In quorum omnium testimonium et roboris firmitatem, presentes fieri et sigillo nostro iussimus communi. Actum et datum in Sytauia, Anno domini Millesimo CC°. nonagesimo primo, in vigilia beati Andree apostoli, iudicacione quinta.

Nach dem im K. K. Geheimen Haus-, Hof- und Staats-Archiv zu Wien aufbewahrten Originale. Fehlerhaft — namentlich auch mit der falschen Jahreszahl 1292 bei Ludwig, Reliqu. Manuscript. V. 436 abgedruckt, und bei Buchholtz a. a. D. IV., Urk. Anh. 125.

CCLVI. Paps Nicolaus IV. bevollmächtigt den Probst zu Brandenburg, zur Vermählung Heinrichs, Fürsten von Mecklenburg, mit Beatrix, der Tochter des Markgrafen Albrecht von Brandenburg, die päpstliche Dispensation zu erteilen, am 23. Dezember 1291.

Nicolaus etc. Preposito Ecclesie Brandenburgensis. — Ex parte dilectorum filiorum Nobilium Virorum alberti marchionis Brandenburgensis et henrici Magnopolensis, domini Slauie, fuit propositum coram nobis, quod ab olim inter eos, parentes, consanguineos et amicos eorum, instigante pacis emulo, humani generis inimico, graua guerrarum discrimina suscitata fuerunt, quorum occasione preter non modica dampna rerum, pericula personarum euenerunt, et ne grauiora euenire contingant similiter dubitatur: Sicque ipsi, cupientes huiusmodi pericula euitari, cum aliud in hac parte nequeat haberi remedium, inuicem tractauerunt, quod dilecta in cristo filia Beatrix, dicti Marchionis filia, eidem henrico matrimonialiter copuletur. Set quia ipsi, henricus et Beatrix, quarto sunt consanguinitatis gradu coniuncti, non potest, impedimento huiusmodi obstantente, predictorum Marchionis et henrici super hoc desiderium sine dispensatione Sedis apostolice adimpleri. Quare suppliciter petebatur a nobis, ut prouidere super hoc de oportuno dispensationis beneficio salubriter dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum, et libenter cristi fidelibus quietis

commoda procuramus, uolentes predicta scandala euitari, quia tu de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam plenior, discretioni tue, cum Ecclesia Brandenburgensis pastore uacare dicatur ad presens, presentium auctoritate committimus et mandamus, ut si premissis uerital suffragetur, et timeatur de periculis, que narrantur, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare; cum hinrico et Beatrice prefatis, quod impedimento non obstante predicto matrimonium in simul contrahere ualeant, et tandem in contracto licite remanere, auctoritate nostra dispenset, prout secundum Deum uideris expedire. Datum Rome apud Sanctam Mariam maiorem, X kalendas Januarij, anno Quarto.

Nach einer Abschrift aus dem Vatikanischen Geh. Archive Epist. Nicolai N. 650 T. III. Anni IV.

CCLVII. Papst Nicolaus IV. bevollmächtigt denselben, zu dem Ehesorhaben des Markgrafen Johann von Brandenburg mit der Herzogin Eufemia von Schlesien, die päpstliche Dispensation zu ertheilen, am 5. Januar 1292.

Nicolaus etc. Preposito Ecclesie Brandenburgensis —. Petitiō dilecti filii nobilif uiri alberti marchionif Brandenburgensis nobis exhibita continebat, quod olim instigante pacif emulo, humani generif inimico, inter ipsum ac progenitores suos ex parte una, et dilectos filios nobiles uiros Polonie ac Slesie duces et progenitores eorum ex altera, graui guerrarum discrimina suscitata fuerunt, quorum occasione preter non modica dampna rerum, multa personarum et animarum pericula euenerunt, quodque postmodum inter nobiles ipsos pax et tranquillitas reformata, que ut nexu potiorif roborif confirmetur, utraque pars cupit, ut dilectus filius Johannes, natus eiusdem Alberti, et dilecta in cristo Eufemia, nata dilecti filij nobilif Viri henrici ducif Slesie, matrimonialiter ad inuicem copulentur. Set quia iudem Johannes et Eufemia se a quarto consanguinitatis gradu contingunt, non potest, impedimento huiusmodi consanguinitatis obfistente, partium ipsarum in hac parte desiderium absque dispensatione Sedis apostolice adimpleri. Quare idem marchio nobis humiliter supplicauit, ut super hoc de oportuno dispensationis remedio prouidere misericorditer dignaremur. Nos autem, qui salutem querimus singulorum, et libenter cristi fidelibus pacif incrementum, caritatis affectum et unitatem concordie, submotif impedimentif quibuslibet, procuramus, discretioni tue, cum Ecclesia Brandenburgensis pastore uacare dicatur ad presens, per apostolica scripta mandamus, quatinus, si tibi constiterit de premissis et euidens utilitas id exposcat, super quibus tuam intendimus conscientiam onerare, cum Johanne et Eufemia predictis, quod impedimento huiusmodi non obstante, matrimonium ad inuicem contrahere ualeant, et tandem in contracto licite remanere, auctoritate nostra dispenset, prout secundum Deum uideris expedire. Datum Rome apud Sanctam Mariam maiorem, Non Januarij, anno Quarto.

Nach einer Abschrift aus dem Vatikanischen Geh. Archive Epist. N. 660. Anni IV.